

unctio. Tercia: Fidei professio. Quarta: Inquisitio voluntatis baptizandi.

Baptizandum igitur ad sacrum fontem perductum, ter Sacerdos interrogat, an abrenunciet Satanæ, & omnibus pompis ejus? Cui vel ipse, si sit adultus, vel Patrinus, si adultus non est, respondet *Abrenuncio*. Quia qui Christo consecrandus est, Diabolo debet abrenunciare. Nemo enim potest duobus Dominis servire. Ricum hunc utpote perantiquum celebrant Tertullianus *lib. de Corona militis cap. 3.* & *lib. de Spectac. 24.* S. Basilius *lib. de Spir. S. cap. 28.* S. Cyrillus Hierosolymitanus *Catechesi Mystagogica 1.* S. Joannes Chrysothomus *homil. 21. ad populum Antiochenum.* S. Gregorius Nazianzenus *Orat. 40.* & S. Augustinus sæpenumero.

Post hæc, oleo sacro baptizandus inungitur ad pedes & scapulas ad instar Athletarum ad pugnam procedentium: ut noverit bonum illi certamen esse certandum contra Diabolum, cui jam abrenunciavit. Commendant ceremoniam illam S. Cyrillus Hierosolymitanus *Catechesi Mystag. 2.* & S. Ambrosius *lib. 2. de sanctis cap. 2.*

Tum fidei professionem edit baptizandus, seu de Articulis symboli sigillatim interrogatus, respondet ad quemlibet, *Credo*, si sit adultus, alias ejus vice respondet Patrinus; fundatur ritus ille in verbis Christi *Marci ult. Qui crediderit & baptizatus fuerit &c.* de hoc ritu agunt S. Cyrillus Hierosolymitanus *Catechesi 1.* & S. Ambrosius *lib. de Initiandis cap. 5.* S. Augustinus *lib. 8. confess. c. 2.*

Demum, cum jam baptismus conferendus est, interrogatur baptizandus *vis baptizari?* Quo respondente *Volo*, subjungit Sacerdos aquam infundens *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.* Idcirco porro in antecessu interrogatur, an velit; quia Deus neminem nisi volentem Militiæ suæ adscribi patitur, ut exponit Catechismus Concilii Tridentini.

Ceremoniæ baptismum subsequentes sunt tres. Chrifti inunctio, alba vestis impositio, ardentis cerei traditio.

Collato ergo baptismate, Sacerdos summum Baptizati verticem Chrifti inungit; Quæ quidem ceremoniæ non modo mysticam habet significationem, descensum scilicet Spiritus S. in baptizatum; verum etiam proprium effectum, *conservationem scilicet gratiæ baptismalis*, ut loquitur D. Thomas. Hanc a S. Sylvestro fuisse institutam, vulgo creditur, idque testantur plerique Scriptores octavi ac noni sæculi. Utrumque sit, fuisse illam perantiquam, ex eo liquet, quod celebraretur a D. Ambrosio *lib. de Sacramentis cap. 1.* & Innocentio I. *Epist. 1. ad Decentium.*

Subinde veste Alba induitur baptizatus adultus; puerilis vero, si veste indui nequeat, albo sudario, quod Chriftinale vulgo dicitur, obteguntur in signum recuperatæ per baptismum innocen-

tia. Hujus ceremoniæ meminere S. Ambrosius *lib. de Initiandis*, & S. Augustinus *serm. 81. de Diversis*. Olim quotquot adulti Catechomeni Sabbato Sancto fuerant solemniter baptizati, (is etenim dies ad id maxime destinatus erat) per totam hebdomadam Paschatis albis vestibus utebantur usque ad diem octavam, qua sanctis sacrificiis albo habitu induci, aderant. Hinc *Dominica in Albis* dicta est.

Postremo, Cereus ardens baptizato, seu Patrinis illum tenentibus in manus traditur. Quo significatur baptizatus implere debere toto vitæ decursu, quod ait Christus *Matt. 5. Sic luceat lux vestra &c.* Et quod habet Apostolus ad *Ephes. 5. Eratis aliquando tenebre, nunc autem lux in Domino &c.*

Is omnino ceremoniis numero sexdecim, confertur in Ecclesia Catholica baptismatis Sacramentum, quoties solemniter ministratur. Quia vero contingit aliquando baptismum privatim absque hujusmodi ceremoniis ministrari, vel imminente mortis periculo, vel errore aliquo ministrorum, vel ex causa honesta, ut filiis Principum evenire solet; has subinde ceremonias suppleri ac resarciri mandat Ecclesia. Idque multiplici de causa. Primo; ut servetur uniformitas in baptismo. Secundo; Ne Sacramentum sua careat solemnitate. Tertio; ut hoc pacto significet Ecclesia, se ratum habere baptismum illud, a fœmina forte, aut viro laico in necessitate ministratum. Quarto; ut baptizatus habeat deputatum sibi publice susceptorem.

Difficultatem duntaxat aliquam movere possunt ceremoniæ baptismum præcedentes; quomodo possint illæ collato in baptismo adhiberi atque suppleri; sic enim non præcedent baptismum, sed subsequuntur. Verum nec illarum ceremoniarum essentia postulat, ut baptismum præmittantur. Præmittuntur ergo, ubi totus & integer ritus solito more peragitur; subsequuntur vero per accidens, ubi baptismum casu aliquo præmissum est, quod ea in occasione præcaveri debet in exorcismo faciendo. Immutanda scilicet verba sunt, ut admonet Rituale Romanum Pauli V. Cum enim administrato jam sacro baptismum, malignus spiritus depulsus fugatusque censeatur, compellendus non est, ut exeat de famulo Dei, detque locum Christo Domino, ut habet solita formula; sed ne ad famulum Dei deinceps redeat, neve illi noceat progressu temporis.

Erga eos vero, qui sine ceremoniis, in secta aliqua sunt baptizati, (quales profecto sunt Calvinistæ) non una eademque in tota Ecclesia Catholica disciplina est. Suppleri in illis baptismatis ceremonias, si ad veram Ecclesiam redierint, jubet Rituale Romanum, nisi rationabili de causa aliter Episcopo videatur. In Ecclesia Gallicana non supplentur; sed cum sola manuum impositione reconciliatoria Calviniani recipiuntur.

DISPUTATIO TERTIA.

De Circumcisione.

PRÆLECTIO I.

Circumcisio quid sit? quo tempore a Deo præcepta? Cur in membro genitali fieri iussa? Queritur, demonstratur.

Absoluta Tractatione de Baptismatis Sacramento, agendum jam nobis est pro more veterum Theologorum, qui Tractationi de Sacramento Baptismatis duplicem Appendicem addebant; alteram quidem de Circumcisione, alteram de Baptismo Joannis: quia Circumcisio Christi Baptismatis figura fuit, Baptisma vero Joannis, illius preparatio ac dispositio. Ordiamur itaque a prima, quæ ut loquitur Augustinus *Epist. 57. Justis veteris Testamenti pro Baptismo fuit.*

Circumcisio definitur carnis præputii abscisio a Deo præcepta in signum fœderis initi inter Deum & Abrahamum illiusque posteror. Colligitur definitio ex *Genesi cap. 17. circumcidetis carnem præputii vestri, ut sit in signum fœderis inter me & vos.*

Circumcisio Abrahæ a Deo præcepta est annis 430. ante legem Moyfi datam, ut habetur ad *Galatas 3. unde & Christus Joann. 7. aiebat, Circumcisionem non esse ex Moyse, sed ex Patribus, hoc est ex illius majoribus. Moyfi tamen lege merito Sacramentum dicitur, quia quod Abrahæ jam pridem indictum fuerat, novo mandato Moyfes iussit Israelitis in lege ab ipso condita.*

Cur in ea potius corporis parte, membro scilicet genitali circumcisio fieri iussa sit, rationes varias assignat D. Thomas 1. 2. *quæst. 102. præsertim vero 3. part. quæst. 70. art. 3. quas a studiosa nostra Juventute tam castis auribus excipere velim, quam casto calamo ab Angelico Doctore descriptæ sunt loco laudato.*

Prima ratio, cur ea in parte circumcisio fieri iussa sit, physica prorsus est. Quia præputium pellicula quedam est velut excrementitia, quæ de facili a carne sejungitur, & supra carnem attollitur; atque ita absque membri læsione abscindi facile potest.

Secunda ratio: ad procurandam Abrahæ posteris fecunditatem. Fecundior etenim est, & ad generationem aptior circumcisus, quam præputiatus; quia semen fortius & validius jaculatur. Cum ergo Deus Abrahæ prolem promississet prope modum infinitam: (*numera stellas si potes scieris semen tuum.*) hoc illis medium præbuit Deus, ut finem illum assequerentur.

Tertia ratio: ad minuendam Judæis concupiscentiæ vim, imminuta delectatione venerea. Delectationem quippe veneream longe minorem percipit circumcisus, quam præputiatus; ea scilicet ratione quam modeste satis nequeo indicare: legatur Tostatus in *Cap. 10. Genes.*

Quarta ratio: ut ea membri virilis castigatio, multatione & circumcisio. Idololatriam detestari Judæi noverint omnium nefandissimam: qua gentiles nonnulli, in sacris Priapi, membri virilis simulacrum solebant erigere, propter cujus excedentem magnitudinem Priapum inter Deos collocaverant.

Quinta ratio: quia circumcisio præsignabat destructionem & extinctionem corruptionis humani generis per Christum Dominum faciendam, hujus enim corruptionis in nobis origo prima est generatio carnalis. Et ideo in membro generationi serviente, fieri debuit circumcisio.

Ita Doctor Angelicus, de parte in qua circumcisio fieri iussa est late disputat 1. 2. *quæst. 102. art. 2. & 5.*

Jam quinquam effectus essent circumcisionis ea in parte fieri solita paulo distinctius inquirendum est nobis.

Effectus illi bene multi a Theologis recensentur, alii quidem indubitati, alii in controversiam adducti.

Primus effectus indubitatus erat, ut eo corporali signo hebraicus populus a quibusvis aliis gentibus fecerneretur. Nec est, quod quis objiciat, populos ex gente nonnullos circumcidi solitos esse, quales erant Ægyptii; atque ita circumcisionem hebræos ab aliis omnibus populis minima distinxisse. Respondetur enim populos illos circumcisionem non frequentasse tempore Abrahæ dum circumcisio primum a Deo præcepta fuit.

Secundus Circumcisionis effectus pariter indubitatus erat, ut per carnis præputii circumcisionem, spiritualis cordis & animi circumcisio per Christum faciendæ præsignaretur: ut habetur ad *Romanos 2. ad Philip. 3. ad Coloss. 3.*

Tertius circumcisionis effectus erat deletio Originalis peccati, si qua Ecclesiæ Patribus fides est. Maxime vero D. Augustinus *lib. 2. de Nuptiis & concupiscentia cap. 11. libr. 16. de Civitate Dei cap. 17. & Epist. 57. ad Dardanum.* D. Ambrosio *lib. 7. in Lucam.* S. Basilio *hom. 13. D. Cypriano.* Chrysothomo, Laſantio, Bernardo, ac demum Innocentio III. *Cap. Majores, extra de Baptismo.* De Cætero enim circumcisionem ad delendum Originale peccatum valuisse, ex sacris Veteris Testamenti litteris non habetur. (a)

Quod enim ex Genesi profertur aliqui: *Masculus cujus præputii caro circumcisa non fuerit delebitur anima illa de populo meo*, non significat hominem incircumcisum perituro propter originale peccatum, quod circumcisio deleri debuisset; sed significat unice perituro propter originale peccatum, quia *passum Dei irritum fecit*, ut immediate subjungitur, hoc est, quia pacti a Deo initi signum in carne sua impressum minime gesserit: quod nihil cum peccato originali commune habet. Sed etsi ex sacris Veteris Testamenti litteris non habeatur aperte, circumcisionem originale peccatum delevisse, satis superque nobis est, quod ex Ecclesiæ Patribus colligatur.

Quartum circumcisionis effectus, de quo maxime disputatur, est collatio gratiæ sanctificantis. Quamquam enim cum priori effectu coherere & ille videatur, (quandoquidem sine gratiæ sanctificantis infusione peccatum originale remitti, ac deleri omnino non potest) non desuere tamen, qui priori concessio, alterum negant, uti Magister Sententiarum, qui peccatum originale sine gratiæ infusione in circumcisioe dimitti contendit. Imo non desuere, qui utrumque perinde sint inficiati: nempe peccatum originale deleri, & Gratiam

tiam infundi: eorum præsertim Patrum auctoritate freti, qui & circumcissioni, & quibusvis aliis Mosaicæ legis sacramentis ac sacrificiis, vim omnem atque virtutem, sanctificandi, justificandi, & a peccato mundandi, denegasse videntur. In cuius quidem difficultatis enodatione nostram hodie diligentiam exercebimus.

Et quidem si Apostolum consulamus, Is in Epist. ad Galat. 4. Veteris legis sacramenta, sacrificia, ritus, caeremonias generatim appellat infirma & egena elementa; non alia certe de causa, quam quod homines justificandi vim non haberent. Unde in Epistola ad Hebræos Cap. 7. legem veterem tandem a Deo reprobam fuisse ait, propter ejus inutilitatem & infirmitatem; & quod homines perfectos facere, nequiret: Reprobatio quidem sit præcedentis Mandati propter infirmitatem & inutilitatem. Nihil enim ad perfectum adducit lex. Quibus consona sunt, quæ habet cap. 10. ubi solam futurorum bonorum umbram, in lege agnoscit Apostolus, & generalem homines perficiendi, purgandi, & a peccatis liberandi impotentiam. Umbram habens lex futurorum bonorum non ipsam imaginem rerum, per singulos annos eisdem ipsis hostiis, quas offerunt indefinenter, nunquam potest accedentes perfectos facere: Et iterum, impossibile enim est, sanguine taurorum aut hircorum auferri peccata. Et ad Coloss. 2. si data esset lex, quæ posset justificare, gratis Christus mortuus esset. Quæ omnia falsa forent, si & delendi peccati, & conferendæ gratiæ virtutem habuissent veteris legis sacramenta & sacrificia.

Apostolum imitatus Augustinus in Expositione in Psalm. 72. hoc inter novæ & veteris legis sacramenta discrimen ponit, quod alia quidem sint danti salutem, alia promittentia Salvatorem. Quæ rotidem ferme verbis inculcat lib. 22. contra Faustianum cap. 69. asserens, Moysen fuisse Ministrum Sacramentorum, non jam præstantium salutem, sed adhuc promittentium Salvatorem. Fract. vero 41. in Joan. de veteribus sacrificiis agens, in quibus, inquit, non erat expiatio peccatorum, sed umbra futurorum. Ac demum Epist. 19. ad Hieronymum exponens Oraculum illud Ezechielis 20. dedit eis præcepta non bona, & judicia in quibus non vivunt, id de præceptis veterum sacramentorum dictum fuisse monet, quæ idcirco non bona vocata fuerint, quia illis homines non justificabantur. Cui etiam interpretationi subscribit D. Hieronymus in Comment. ad hunc ipsum Ezechielis locum. Aperiissime vero Eugenius IV. in decret. Sacramenta veteris legis non causabant gratiam, sed solum per passionem Christi dandam figurabant. Quibus omnibus nihil discretius excogitari potest, ad omnem sanctificandi, justificandi, peccatique delendi virtutem antiquæ legis sacramentis & sacrificiis denegandam.

Et tamen, quis credat? hanc illis virtutem inesse, alia non minus discreta Scripturarum & Patrum oracula videntur evincere. In primis enim Levitici 1. 4. 5. 7. & Num. 15. certa sacrificia offerenda pro peccatis præcipiuntur; quorum effectus, remissio scilicet peccatorum ibidem declarat, hisce aliisque similibus verbis: Quod si anima una nesciens peccaverit, offeret capram ancillam pro peccato suo, & deprecabitur pro ea Sacerdos, quod inscia peccaverit coram Domino, impetrabitque ei veniam & dimittetur illi.

Secundo. Tempore veteris Testamenti, plerique viri Sancti, sacrificia Deo obrulisse leguntur, ut eum sibi placarent, totique populo; ut David 2. Reg. ult. Tres pueri in fornacem missi, Daniel 3. Judas Machabæus lib. 2. c. 12. ut alios

fileam tempore legis Mosaicæ superiores, ut Abel, Noe, Melchisedech, Abraham, Job, & Jacob. Placandæ ergo Divinæ Justitiæ vim habebant sacrificia illa.

Tertio suffragantur & Patres, ac ipse etiam D. Augustinus quest. 23. in Num. discretissime asserens in legis sacramentis, inveniri potuisse purgationem peccatorum; & quest. 84. in Levit. Scribens, Moysen sanctificasse visibilibus sacramentis per ministerium suum, Deum autem invisibili gratia per Spiritum S.

D. Ambrosius lib. 7. in Lucan, circumciso, inquit, purificavit, lex sanctificavit, gratia iustificavit.

D. Leo Magnus Serm. 3. de Nativit. Dom. ait, Justos veteris Testamenti non minus adeptos esse, qui Christum credere promissum, quam, qui suscipere donatum. Et serm. 2. in die Pentecost. Et Patriarchæ, & Prophætæ & Sacerdotes, omnesque sancti, qui prioribus fuisse temporibus, ejusdem sunt Spiritus S. sanctificatione vegetati; & sine hac gratia nulla unquam sunt instituta sacramenta, nulla sunt celebrata mysteria; ut eadem semper fuerit virtus Charismatum, quantum non eadem fuerit mensura donorum. (a)

Quarto suadet hoc ipsum etiam & ratio. Sacramenta enim veteris Testamenti ita referebantur ad sanguinem Christi fundendum, sicut Sacramenta novi referuntur ad Sanguinem Christi jam fustum: Igitur sicut ista, ex Christi Sanguine sunt efficacia, ita & illa dicenda sunt. Maxime cum fides Patriarcharum & Prophetarum, aliorumque veterum Justorum eadem fuerit ac nostra, adeoque adhibitis Sacramentis, eandem illi nobiscum gratiam consequebantur.

Quid ergo? Ita ne quæso fluctuabimur in incerto ob repugnantem Scripturarum ac Patrum testificationem; illas quidem veterum Sacramentorum virtutem & efficaciam extenuantes, istas vero eandem commendantes, ac etiam exaggerantes?

Abiit. Repugnantiam illam sustulit Doctor Angelicus, totaque fæderosa questionis difficultatem enodavit 1. 2. quest. 103. art. 2. ubi docet, Sacramenta, & sacrificia veteris legis homines sanctificasse, a peccatis mundasse, non primario & per se se, sed secundario ac veluti per accidens; seu hos effectus præstitisse, non ex propria, insitaque sibi virtute & efficacia, sed per fidem suscipientium & offerentium. Cum enim per se primo instituta essent ad Christum præfigurandum & prænunciandum, non erant per se primo efficacia, & productiva gratiæ, sed mere significantia futurorum; secundario tamen, ac veluti per accidens gratiam producebant, quia significando id ipsum quod fides de Christo credit, illorum susceptio atque oblatio (si religioso ut par erat animo fieret) erat fidei protestatio: hæcque gratiam sanctificantem & remissionem peccatorum obtinebat.

Unde tamen tunc homines non justificarentur ordinariæ sine Sacramentis in quorum religiosa susceptione suam in Christum fidem protestabantur; non tamen rigorese loquendo, justificabantur per ipsamet Sacramenta, quæ per se se infirma erant & egena elementa, ut loquitur Apostolus. En totius enigmatis solutionem. Quæ igitur primo loco proferebantur Scripturarum & Patrum Oracula, vim omnem & efficaciam veteris legis sacramentis & sacrificiis denegantia, id in illis spectant unice, quod per se se ac primario illis competeat; quæ vero secundo loco laudabantur, hanc illis justificandi vim tribuentia, id in illis attendunt, quod secundario ac veluti per accidens continebant.

Id

(a) Vide Tournelii loc. sup. cit.

Id ergo inter Sacramenta veteris & novæ legis discriminis interest, quod sacramenta novæ, primo ac per se ad gratiam conferendam sunt instituta; secundario vero ac per accidens ad aliquid aliud significandum. Sacramenta autem veteris ex adverso, per se primo ad significandum sunt instituta, per accidens vero ad gratiam producendam, ac sicuti per accidens fuit veteri Testamento, quod eo tempore justis quidam & spirituales homines fuerint, qui idcirco ad gratiam novi Testamenti pertinebant: ita & Sacramentis illius legis ac temporis accidit, quod quidam homines per fidem mediatoris ad ea accedentes, per ea veniam, atque iustitiam sint consecuti; sicut & per accidens evenit Sacramentis novæ legis, quod per ea non justificentur, qui ad ea carnali affectu accedunt, quos re vera delendum est, ad vetus potius, quam ad novum Testamentum pertinere.

Addiderim non pauca Scripturarum Oracula, quæ mundandi purgandique virtutem antiquis Sacramentis & sacrificiis tribuunt, de legalibus carnis immoditiis esse intelligenda; quæ per se ingenuaque virtute hujusmodi Sacramenta eluere poterant; non de peccatis proprie dictis, & vitis animi. Sic qui mortuum tetigisset, ac etiam leprosus esset, immundus erat secundum legem. Malier si masculum peperisset, quadraginta diebus immunda erat; si feminam, sexaginta sex: & has carnis immunditias mere legales, sacrificia se ipsis eluebant, juxta dictum Apostoli ad Hebræos 9. Sanguis Hircorum & Taurorum, & cinis vitule aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis: quia immunditia illa erat veluti quadam irregularitates a lege statuta, quibus homines fiebant inhabiles ad cultum divinum. At fordes animi, veraque peccata non perinde juxta eandem Apostolum poterant mundare ad Hebræos 10. Impossibile est sanguine hircorum & taurorum auferri peccata.

Eccur ergo, inquires, major illis sacramentis vis & efficacia non erat; Cum & hæc ipsa illorum virtus, qualiscumque tandem esset, ex Christi venturi sanguinis ortum duceret, quemadmodum & nunc, ex Christi Sanguine virtutem suam omnem sacramenta nostra mutuatur.

Respondet Doctor Angelicus loco ante laudato 1. secunda, Quest. 103. art. 2. hoc ita contigisse, quia in veteri Testamento, Mysterium Incarnationis, utpote nondum realiter peractum, operari in sacramentis non poterat, nisi moraliter; quatenus nempe per fidem apprehendebatur, a suscipientibus sacramenta; nunc vero, quia re ipsa impletum est in Sacramentis nostris, non modo moraliter, verum etiam physice & realiter operatur: Unde major illis virtus inest, & efficacia.

Verum, reponent aliqui, numquid in Veteri Testamento potuit etiam Deus, respiciens in passionem Christi futuram, conferre hominibus gratiam per sacramenta, tanquam divinæ potestatis instrumenta proprie dicta, quibus divina virtus infallibiliter afflueret, sicut id facit per sacramenta novæ legis, respiciens in passionem Christi peractam?

Potuit plane, ac quominus id faceret, ratio non una impedimento fuit. Prima: quia impleta Christi D. passio, connaturalius, adeoque & efficacius operatur in Sacramentis, quam implenda duntaxat. Secunda: quia congruum erat, ut tempore gratiæ revelatæ, potentiora essent gratiæ conferendæ remedia, quam tempore gratiæ duntaxat promissæ. Tertia: quia si tantæ efficaciam Sacramenta probassent Justis Veteris Testamenti, haud ita fervide Christi adventum accelerari supplicassent.

Ex his igitur, quæ hæcenus generatim dicta sunt de virtute & efficacia Sacramentorum, & Sacrificiorum Veteris legis, inferoscere facile est, quid speciatim de Circumcisionis effectibus statuendum sit: an & quomodo peccatum Originale sustulerit, gratiamque sanctificantem contulerit? Quia tamen peculiare ac etiam proprias difficultates involvit circumcisio; quo titulo, quæ ratione geminos illos effectus forsitur, idcirco speciatim de iis in sequenti dicemus.

PRÆLECTIO II.

Nam Circumcisio deletet Peccatum Originale, & Gratiam sanctificantem conferret.

TAmetsi ex antedictis in universum de Sacramentis, & Sacrificiis veteris Testamenti, quo pacto scilicet, quæ ratione, & peccata deleterent, & gratiam largirentur, intelligi facile possit, quid de Circumcisione sentiendum sit, quia tamen speciales nonnullæ difficultates circa Circumcisionem occurrunt, idcirco facturos nos operæ pretium existimavimus, si de ejus ad delendum originale peccatum, conferendæ gratiam virtute & efficacia peculiariter diceremus; ne quid hac in parte insolutum maneat, quod studiosam juvenutem morari possit.

Illud in primis difficultatem movet. Primo si circumcisio delendi originalis peccati, & gratiæ conferendæ vim habuit saltem ut erat conjuncta cum fide Mediatoris, quorsum per annos 40 quibus vagatus fuit Hebræus populus in desertum, neglecta fuit, nec nisi quando accesserunt in Galgalis, accepto mandato a Deo, jussit Moyses circumcisionem esse cultro lapideo faciendam?

Secundo. Quorsum pro solis masculis est instituta, cum, & feminae perinde egerent remedio contra peccatum Originale?

Tertio. Cur non ante octavam diem masculis ipsis conferri vetitum est; Cum ante id temporis plerique moriantur, qui idcirco necessario illo contra originale peccatum remedio sunt destituti?

Quod primum attinet: triplex statim sese offert responsio. Prima Augustini quest. 6. in Josue dicentis, Judæos hoc in capite peccasse. Cui, bona pace, dicerem, suam hanc opinionem aliorum Patrum sententiæ repugnare. Nam incredibile est, quod si Judæi eo tempore, ea in occasione peccassent, Aaronem, & Moysen, qui totius populi Rectores erant, hoc passuros fuisse. Secunda, quæ instituto huic nostro accommodatior videtur: fuisse specialiter dispensatos propter faciendi itineris incertitudinem, & gravi incumbente necessitate: nam cum Hebræi tunc temporis parati esse deberent ad castramentandum, circumcidi nequaquam poterant, cum tantum dolorem propter circumcisionem faciendam perpeti debuissent, ut arma nullo modo exercere potuissent, ut in sacro Schematarum visum fuit. Tertia; & neminem eorum, qui in deserto nati fuerant mortuum fuisse, antequam nova lex Circumcisionis a Josue indicta fuisset.

Ad secundum dico, fuisse nonnullos, qui feminas circumcidi posse dixerunt, desumentes exemplum a Colchis; de hoc tamen consulere medicos melius Viro Theologo, & dignius erit. Quare reponam ego, feminis post institutum pro masculis circumcisionem de altero remedio fuisse provisum; eo scilicet quod in lege naturæ tam pro masculis, quam pro feminis in usu fuerat nempe oblatione a parentibus a Deo facta, cum actu protestativo fidei in Christum venturum. Congruisse vero maxime, ut masculis potius, quam feminis de circumcisione provideretur: quia